



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 5. Mores Scotorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

196 DE REGNO MAIORIS BRITANNIÆ,  
bernica planè, eoque creditur à primis Scotis delata, de quâ postea  
agemus in Hiberniâ.

§. 5. *Mores Scotorum.*

PAUCA hæc ex Boethij obseruationibus decerpimus.

*Victus.* Carnes semicoctas comedunt, aiunt enim in iis plus esse  
fucci. Massam ex farinâ, butyro, caseo conflata, duratamque fe-  
rebant ad bellum, quam subinde lingeant. Helluones apud eos  
aquis submergebantur. Quæ mulier infantem suum alere non  
posset adulterij incurrebat notam.

*Potus.* In castris tantum licebat iis aquam bibere. Domi potionis  
genus conficiebant, quod aquam viuam nuncupabant, ex thymo,  
mentâ, aniso, herbisque patriis eliquatis.

*Vestes.* Semper capite nudò incedebant, quare apud eos nemo  
caluus: nudis ferè pedibus ambulabant; si calceos induerent, eos  
madefaciebant: lectum eis præbebat scamnum, aut pauimen-  
tum. Chlamydem tantum hyeme adhibebant, eamque adstrictio-  
rem.

*Bellum.* Omnia suis humeris ad bellum portabant. Arma erant  
galea, lorica, clypeus ex ferro, aut corio: postremis temporibus  
& sclopus, quo vt & gladio si quis carere deprehendebatur, loris  
exdebat. Nobilissimi primi in acie stabant, si quis se subduxisset  
è castris à quouis impunè necabatur. Dissipabantur facilè, sicut  
& facilè reuocabantur ad signa. Nihil ex insidiis, omnia aperto  
marte gerebant. Mulier nisi ferret vterum, maritum ad castra se-  
quebatur.

Et hæc quidem de antiquis Scotis; nam ex Gallorum & An-  
glorum commercio, iam politiores effecti sunt.

§. 6. *Politia Scotorum.*

IN Scotiam appulere Scythæ, quidquid refragentur Scaliger,  
& Buchananus, frustra hunc Senecæ versum distorquentes,

*Et carneos Scotobrigantas,*

vbi vulgò legitur *Scuta Brigantas*. Sed vnde venerunt illi Scythæ?  
Aliqui illos accersunt ex Hispaniâ, vnde expulsos aiunt per Con-  
stantinum Magnum, idque ex Alphonfi Chronico conantur crue-